



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

2. De publica fidei professione à Beneficiarijs saciendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

beneficia impetrata iure & facto vacant Romano Pontifici reservata: & qui impetraverunt, inhabiles reddantur ad illa de novo obtinenda. Hæc in illa constitutione.

Admonendum duximus, Lectorem: ut intelligat id, quod vltima curiæ Romanæ in hac parte fieri solet: in primis eum, qui beneficium petit, Papæ libellum supplicem offert, in quo eius petitio continetur, quæ vulgo supplicatio dicitur: Et Papa respondet verbo *Placet*, aut, *Fiat ut petitur*, subscripto, & postea recognoscitur, & datur à Datario, & in Registro inseritur, & tunc dicitur supplicatio signata: Deinde in compendium quoddam redigitur & recognoscitur: & postremo Pontificium diploma conscribitur, & in Registro reponitur, & inde exemplar rescribitur: quod vulgo Bullæ, seu literæ Apostolicæ appellatur. Et quia hæc omnia opera & ministerio multorum curiæ Romanæ Scriptorum faciuntur, quibus ob id certa quidem stipendia debentur: constituere Romani Pontifices: ne quis beneficium in curia Romana impetrati possessionem nanciscatur, antequam diploma Pontificium accipiat, ne præfati curiæ Scriptores & ministri suis debitis stipendiis fraudentur.

Extat etiam regula 25. Cancellariæ: *ut gratia Apostolica pro infirmi habeatur ante literas expeditas: & quod non iudicetur iuxta formam supplicationum signatarum super quibuscunque impetrationibus, vel concessionibus per verbum Placet, vel per sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicæcancellarium, nisi sint commissiones iustitiam concernentes.* Sic ibi.

C. A P. II.

De publica fidei professione à beneficiariis faciendâ.

Primo quaeritur, qui Beneficarii publicam fidei Catholicæ professionem facere debent? Respondet, Concilium Tridentinum sess. 24. c. 12. *De reformatione sic statuisse: Prouisi etiam de beneficiis quibuscunque, curam animarum habentibus, tentantur à die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses, in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram generali eius Vicario, seu officiali, ori bodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romana Ecclesiâ obedientiam se permansuros spondeant, ac iurent. Prouisi autem de Canoniciatibus & dignitatibus, in Ecclesiis Cathedralibus non solum coram Episcopo, seu eius officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes prouisi, ut supra fructus non faciant suos: nec illis possessio suffragetur.* Sic ibi.

Extat præterea Pii IV. Constitutio, cuius principium est: *Inuincimus nobis, vbi præcipit, ut publicam quoque fidei professionem faciant, quicumque Monasteriis, Conuentibus, & Domibus regularium ordinum, etiam Militarium præficiuntur.* Iubet similiter fidei professionem fieri iuxta formulam ab eo in ea Constitutione præscriptam.

Quæres, An ob professionem fidei prætermittam, pœna in Concilio Tridentino interrogata in foro conscientiæ, ante vllam iudicis sententiam contrahatur? Respondet, contrahi, quia Concilium ait, qui eam omittunt, fructus non facere suos: ergo fructuum ius & dominium acquirere iure non possunt.

Secundo quaeritur, An Parochi, vel Canonici, qui per iustam ignorantiam, vel obliuionem intra duos menses publicam fidei professionem non fecerunt, fructus beneficium lucrifaciant? Respondet Nauarrus tom. 1. *Consiliorum, de summa Trinitate, consil. 3.* quod ad forum conscientiæ attinet, eos non peccasse, ac proinde sibi fructus lucrari. Primo, quia iusta ignorantia, vel obliuio scriptæ legis excusat à culpa. Secundo, quia iuxta Glossam in c. Fraternalitas, 12. q. 2. pœna ante iudiciariam criminis condemnationem, non debetur. Tertio, quia qui leges & scripta iura bonæ fidei prætermittit, sicut culpam, sic etiam pœnam non contrahit.

Quibusdam tamen hæc non omni ex parte probantur. Primo quia in iudicio huiusmodi ignorantia, vel ob-

liuio locum non habet, nisi iusta esse probeatur, quia est ignorantia Canonis, siue legis iure communi constituta. Deinde, quod ad forum etiam conscientiæ pertinet, in prædictis Parochiis, vel Canonici non videntur iusta esse ignorantia: quisque enim id nosse debet, quod ad suum statum, & vitæ conditionem communi iure spectat.

Postremo, quia licet huiusmodi beneficia: si sunt à culpa liberi & immunes, fructus tamen beneficium restituere debent: hæc enim pœna, cum eam leges irrogant, ante iudicis sententiam contrahitur, præsertim à beneficiariis, tacite nimirum ea conditione accipientibus beneficia, ut publicam fidei professionem faciant; alioqui beneficium fructus amittant.

Meo iudicio, Nauarrus sententia in hac parte vera est, quod ad conscientiam pertinet: quia huiusmodi lex iuste ignorari, vel saltem memoria excidere potest, & vbi quis contra legem præcipientem, vel prohibentem aliquid fieri, sine culpa facit, pœnam non meretur: talis vero lex pœnalis est, non conuentionalis.

Tertio quaeritur, An prædicti beneficiarii, qui fidei professionem non fecerint, possint sibi fructus beneficium retinere, Priuilegio regulæ Cancellariæ de Annali, vel triennali possessore? Respondet, cum Nauarro tom. 1. *Consiliorum, de summa Trinitate, consil. 12. c. 1.* regulam Cancellariæ de annali, vel triennali possessore prædictis beneficiariis nihil prodesse, quod attinet ad fructus lucrifaciendos: eo quod regula in fructibus ius non tribuit, sed solum in proprietate, titulo, & dominio beneficium.

At vero verum ius & titulum beneficium ipso iure perdant, dubitari potest, propterea quod ob publicam fidei professionem titulus beneficium iam ante acquisitum, ad non titulum reduci videatur. Præterea vbi lex generalis possessori resistit, tunc possessor potius est detentor, & intrusus, quam verus possessor. *c. Ad decimas, de resit. spolis. in 6. v. Lapus annotat:* nec intrusus, sed iustum possessorem leges, & iura defendunt. *lib. 1. Feudorum, titu. per quos fiat inuestitura, cap. 1.* Nam possessio est ius insistendi rei, quæ non prohibetur possideri, *l. 1. ff. De acquiren. posses. & ibi Bartolus, & Doctores, & Priuilegium regulæ prædictæ de triennali possessore iuuat possessorem ob negligentiam eorum qui ius suum non postulant: ut annotat Gomez, in proelio illius regulæ, num. 3.* Non autem possessorem iniustum.

Nihilominus tamen meo iudicio verius est, ius beneficium non amitti, quia pœna, quam Synodus constituit, solum est de fructibus amittendis, non de iure, & titulo beneficium adimendo: & ea pœna afficit possessorem fructuum, ne possit se tueri Regula de Triennali possessore ad fructus retinendos: non autem afficit possessorem tituli. Si quaeratur, Quid sit faciendum de huiusmodi fructibus? Respondet, eos esse impendendos vel in vltus pauperum, vel in fabricam Ecclesiæ, sicut fructus eorum qui non resident. *cap. 1. vers. si quis autem, sess. 23. Lateranensis Concilii.*

Quarto quaeritur, An qui professionem fidei intra duos menses omisit postea fecerit, sibi fructus acquirat? Respondet, post duos menses elapsos, quamdiu professionem non emiserit, eorum fructus minime lucrari. Ipsi tamen prodest fidei etiam post duos menses emissa professio, quoniam ex eo tempore incipit sibi fructus nondum perceptos lucrifacere, non tamen prodest ad retinendos fructus, quos ante professionem factam percepit.

Quinto quaeritur, An qui intra duos menses fidei professionem non fecerit, iis elapsis, eam facere debeat? Respondet, ad eam faciendam iure compelli: eo quod *ex l. Celsus. ff. de receptis arbitris, & cap. Cum dilecti, de dolo, & contumacia.* Qui lege, & iure scripto cogitur aliquid intra certum tempus efficere, ad duo adigitur: videlicet, ad id intra certum illud tempus lege præscriptum faciendum, si commode potest: quod si non potest, aut sua culpa non facit, debet etiam post illud tempus exactum, cum primum commode poterit facere. Exempli gratia: Titus certam pecuniam ad Ianuarias Calendas debet, ni si soluerit intra illud tempus, debebit primo quoque tempo-

re eam solvere. nam ad duo præstanda, promissione, aut præcepto compellitur: ad solvendum scilicet, intra Calendarum Ianuariæ, & his elapsis, ad solvendum, cum commode poterit. Sic etiam Parochus, vel Canonicus intra duos menses à possessione beneficii obtenta computandos, debet fidem publice profiteri. Si id igitur non præstiterit, præstare postea debet, cum commode poterit.

Sexto quaeritur, An Beneficiarius dictam professionem fidei per procuratorem facere queat, quando per seipsum non potest? Respondeo, posse, nam l. 1. ff. de procuratoribus. cap. Qui per alium. Et cap. Potest quis, de præbend. in 6. Qui iubetur per seipsum efficere, id potest facere per procuratorem, nisi lex, vel Canon aliter constituit. Perat aliquis, An si Titius procuratori mandaverit, ut publicam fidei professionem faciat, procurator vero eam intra duos menses non fecit, ipse Titius beneficii fructus amittat? Respondeo, distinguendo, quamdiu per Titium non stat, quo minus, vel per se vel procuratorem fidei professionem emittat, fructus lucratur, secus vero minime.

Septimo quaeritur, An Beneficiarius, fidei professione non facta, quotidianas lucrifaciat distributiones? Respondeo, lucrifacere: quia pœnæ restringi debent, non laxari. ac Concilium Tridentinum solum priuat fructibus beneficii: porro in fructibus beneficii distributiones quotidianæ minime computantur, ut inferius dicemus, quando beneficium fructus reddit à distributionibus separatos: nam secus est, quando beneficii fructus non nisi in distributionibus consistunt. Idem iuris est de his, quæ Beneficiarii acquirunt ex diuinis annuatariis officiis: hæc enim non debentur præcise ratione beneficii, sed rationis præsentis in ipsis anniæ satisfaciis.

Octavo quaeritur, An Canonicus, vel Parochus, facta semel professione fidei, si ad aliam Ecclesiam transferatur, debeat eam professionem iterum emittere? Respondeo, in Concilio Tridentino, & Constitutione Pii IV. supra citatis, vniuersim decerni, ut ii, quibus prædicta beneficia conferuntur, fidei professionem faciant. Dubit tamen quaestio videtur esse, an id locum etiam habeat in iis, qui vna dimissa Ecclesia ad aliam transferuntur: an vero solum in his, qui ad primam Ecclesiam promouentur. Quidam existimant, locum habere in his, qui dimissa priore posteriore obtinent in diuersis diocesis, oppidis vel locis, non tamen in his, qui secundum beneficium in eadem Ecclesia: in qua erat primum, accipiunt. Alii videtur vniuersæ, qui primum, vel secundum Canonicatum, dignitatem, vel Parochiam accipit, cum debere semel, & iterum fidem publice profiteri.

C A P. III.

De assidua præsentia, quæ beneficiarii in suis Ecclesiis commorari, & ut dici solet, residere debent.

Estat in iure Canonico Titulus, de Clericis non residentibus. Is autem Clericus perpetuo in sua Ecclesia commorari, & residere videtur, qui in ea per seipsum inest, aut qui in ea præsens adest.

De hac re tractant iuris Pontificii periti capite ultimo, & cap. quia nonnulli, & cap. Conquerente, de Clericis non residentibus. Innocentius, Hostiensis, Ioan. Andreas, Panormitanus, & alii: Ioannes Selua de beneficiis part. 4. quest. 1. 2. & sequen. Rebuffus in sua Praxi beneficiorum parte 2. titulo dispensatione ad non residendum. Summistæ partim in verbo, residentis, vt Syluester & Armilla, partim in verbo, Clericus, vt Angelus, Clericus 7. Rosella, Clericus quarto numero 20. partim in verbo Beneficium, vt Tabienus, beneficium 3. questio 6. S. Thomas, & Caietanus secunda secundæ questione 185. art. 5. Sotus lib. 10. de iustitia, quest. 3. Couar. lib. 3. variarum resolutionum, c. 13.

Porro sciendum est, Iustinianum Imperatorem in l. Generaliter, §. Eos tamen. C. de episcopis, & Clericis, sanxisse, eos

tantum Clericos, & Monachos immunitatis beneficio gaudere, hoc est, liberos esse à cura, & tutela, qui apud sacrosanctas Ecclesias, vel Monasteria permanent non vagantes, nec circa diuina ministeria desides: cum propter hoc ipsam, inquit, beneficium indulgeamus, vt alii omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministerii inhareant. Et apud Liuium libro quinto, Camillus dixit Flamini Diali, noctem vnam manere extra urbem, nefas est. Et Cornelius Tacitus libro 3. Annalium sic ait: Et quando de religionibus tractabatur, dilatum nuper responsum aduersus Seruicum Maluginensem Flaminem Dialem promissit Cesar, recitauit decretum Pontificium, quoties valetudo aduersa Flaminem incesisset, vt Pontificis Maximi arbitrio, dumne plusquam binotium abesset, dumne diebus sacrificii non sapius, quam bis eundem in annum. Quæ principe Augusto constituta satis ostendebant, nunquam absentiam, & prouinciarum administrationem Dialibus concedi. Ex quibus constat, esse ab omni ratione naturali alienum, vt ii, qui præficiuntur Ecclesiarum administrationi, & curæ, à suis Ecclesiis absint, suumve munus deferant, aut negligent. Et cum illis beneficium confertur, datur, vt Deum honorent, & colant, & Ecclesiæ inferuiant.

Primo quaeritur, an omne beneficium iure Canonico assidua beneficiarii præsentiam requirat? Inter omnes conuenit Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Priores, Præpositos, Parochos, & cæteros, quibus est animarum cura iure commissa; in suis Ecclesiis commorari, & præsentem esse debere, cap. Ad hæc, de præbend. cap. Exterpanda, §. Qui vero, eodem titulo. cap. Quia nonnulli, de Clericis non residentibus. cap. Licet, de elect. in 6. Vnde Concilium Tridentinum, sessione 23. cap. 1. de reformatione, & sessione 6. cap. 1. præcipit stricte Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, & Episcopis, vt in suis Ecclesiis resideant. Exploratum quoque est, dignitatem, vel administrationem, vel officium habentes, quales sunt Præpositi, Personatus, Decani, Archidiaconi, Thesaurarii, Præcentores, & alii, ad commorandum assidue in suis Ecclesiis communi iure compelli, capitulo. Ad hæc, de præbend. cap. ex parte nostra, & cap. Inter quatuor, & cap. Ex parte tua, de Clericis non residentibus. quæ iura innouat, & confirmat Synodus Tridentina sessione 24. c. 12. de reformatione. Certum quoque est, Canonicatum, portionem, siue præbendam habentes in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegialibus iure communi præsentem esse oportere. De Canonicis id constat cap. Cum ad hæc, capitulo de cætero, capitulo Tua, & cap. Cum dilectus, de Clericis non residentibus. Et in Concilio Tridentino, sessione, & capitulo præallegatis. Idem de habentibus præbendas, vel portiones idem iuris est, ex c. Cum ad hæc, de Clericis non residentibus. & Concilio Tridentino, eo quem proxime posui loco.

Sed dubitatur, An singula alia beneficia simplicia assidua beneficiarii præsentiam iure postulent? Communis est inter iuris Canonicos peritos sententia, omne beneficium, quamuis simplex, eam iure communi requirere. Sic Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Panormitanus, & alii cap. ult. & cap. Quia nonnulli, de Clericis non residentibus. Item Glossa in cap. Quia nonnulli, capitulo Conquerente, capitulo Relatum, eodem titulo: quos omnes auctores citat, & sequitur Ioan. Selua, de benef. part. 4. questio 1. & Rebuff. in loco præallegato. Nec dissentiant ab illis Angelus, Rosella, Syluester Tabien. in iisdem quoque locis supra productis, Nauar. in Manuali capitulo 25. nu. 121. Idque colligunt ex iis locis quos subiiciam, ex cap. vltim. capitulo Conquerente, capitulo, Quia nonnulli, de Clericis non residentibus. & cap. vlt. de rescript. in 6. vbi dicitur, beneficium propter officium dari, & ex cap. Super inordinata, de præbend. vbi habetur, pueros non esse idoneos ad beneficia, cum illis inferuire non possint, videlicet per seipsos, nam per alium possent. Et quamuis quibusdam videatur id aperte non colligi ex iis, quos attulimus iuris Canonici locis, nec ex aliis, quos Glossa commendat: eo quod solum in iis Canonibus habeatur, ministros in Ecclesiis constitui, vt in illis inferuiant, & suum munus, & officium exequantur: quod potest intelligi ita, vt vel per seipsos, vel per alios in sui loco